

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Dissertatio Critica De Capitibus Ultimis IX - XIII.  
Posterioris Epistolae Pavli Ad Corinthios Ab Eadem Haud  
Separandis**

**Gabler, Johann Philipp**

**Goettingae, [1782]**

**VD18 11725516**

Sectio I. De Capitibus. Epistolae Posterioris Ad Corinthios Vera Ad  
Praecedentia Capita Ratione.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-14981**

---

## SECTIO I.

DE  
CAPITISIX. EPISTOLAE POSTERIORIS  
AD CORINTHIOS  
VERA AD PRAECEDENTIA CAPITA  
RATIONE.

---

### §. I.

*Difficultates nexus Cap. VIII. cum IX.  
exponuntur.*

**V**troque posterioris epistolae ad Corinthios capite VIII. et IX. liberalitatem in colligenda stipe pro Christianis Palaestinensibus primis lectoribus maiorem in modum grauissimisque argumentis a Paulo commendari, id quidem primo iam obtutu facile intelligimus. Tantum vero abesse videtur, vt, quod exspectari tamen iure possit, argumenta persuasoria, quae Cap. VIII. proponi coeperant, IXno hoc continuentur, nouisque augeantur; vt potius prioribus quinque  
A com-

commatibus idem contineatur, quod VIIIuo iam capite prolixius expositum legimus, ac Paullus vniuerse ita procedat, atque eius modi dicendi formulis vtatur, ac si nihil horum in praecedente capite attigisset, sed novum prorsus argumentum hoc capite tractare incipiat. Haec enim priora quinque commata si inspiciamus, repeti videtur variis modo formulis summa eorum, quae *tum* de egregia spe, quam de liberali Corinthiorum animo conceperat, *tum* de legatione Titi eiusque comitum ad studium leuandi larga manu aliorum miserias in animis illorum alendum et promouendum Cap. VIII. commatt. 6. 7. 8. 10. 11. 18. 22. 24. fusius iam exposuerat. — Incipit Cap. IX. verbis: *περι μεν γαρ της διακονιας*; qua quidem formula Paullus alibi vtitur ad transeundum ab vno argumento ad alterum; v. c. 1 Cor. VII, 1. XII, 1. XVI, 1. Addit Apostolus: *περισσον μοι εσι το γραφειν υμιν*; cum tamen per integrum Cap. VIII. studium aliis benefaciendi Corinthiis suis magnopere iam iam commendasset, ac in eodem argumento per totum hoc Cap. IX. adhuc haereat. Mentionem denique facit *Achaiae* com. 2; cum praecedens caput *Corinthiis* maxime destinatum fuerit. — Hae sunt potiores difficultates, quibus soluendis ab aliis aliae hypotheses excogitatae fuerunt; quas singulas recensere iam atque diiudicare constituimus.

§. II.

## §. II.

*Prima hypothesis exponitur et examinatur.*

Prima vero hypothesis ad illustrandam vniuersam Cap. IXni rationem ac indolem stabilita, cuius in praefatione iam mentionem fecimus, haec est: Caput hoc IXnum separatam esse schedulam, nec Corinthiis, sed caeteris ecclesiis Achaicis, vt aequae prolixam et beneficam, ac Corinthii, voluntatem egenis Palaestinenfibus demonstrarent, destinatum; nulloque prorsus nexu cohaerere cum praeced. Cap. VIIIuo, quod potius, adiecto quidem Cap. XVI. epist. ad Romanos, posteriores has litteras claudere censendum sit, sed posthaec demum scidam illam a Corinthiis huic ipsi epistolae loco quidem eo, quo Paulus de eadem re ageret, adiunctam fuisse. Eius modi enim breuiores litteras per provinciam missas post aliquod tempus, ne perirent, collectas fuisse, atque maiori cuidam epistolae ad metropolin datae, loco quouis aptissimo, omiffa inscriptione et apostolica salutatione insertas. Qui antiquae ecclesiae Christianae mos si ad illustrandas Cap. illius IXni origines adferatur, manifestum esse, quae ratione in media hac epistola particula quaedam extet, quae cum antecedentibus non cohaereat. —

A 2

Verum

Verum enimvero quod ad illam hypothesin attinet, qua maiores nonnullae, quas hodie habemus, epistolae Paullinae ex pluribus minoribus in vnum redactis natae iudicantur, ea quidem, nisi *certa* adsint adpendicis *indicia*, velut in Cap. XVI. epist. ad Romanos, mihi certe, qui Criticae coniecturali in N. T. parum aut nihil omnino tribuerim, non admittenda videtur. Etenim tot tantisque praesidiis criticis et antiquae textus graeci historiae monumentis instructi sumus, vt, si iniustas illas ac idoneis testibus destitutas de perturbatis librorum N. T. foliis querelas audiamus, rem criticam non promouere sed euertere, egregiamque illam artem, quae, quid in quouis libro aut loco genuinum ac certum sit, definiat, dubiam ad modum atque incertam reddere haud immerito videamur.

Nonnulla quidem librorum sacrorum segmenta suo loco, quem in vulgaribus editionibus tenent, mouenda esse, negari non potest; quo referenda sunt V. T. variae particulae vaticiniorum Ieremiae, et e N. T. Rom. XVI, 25-27. quae verba S. V. GRIESBACH summo iure ad finem Cap. XVI. retulit. Sed adsunt quoque huius rei fat manifesta vestigia *a*). Quae vero alii absque idonea

*a*) Vide sis, quae de his docte differunt praeceptores optimi EICHHORN in *Repert. bibl.* P. I.

nea ratione, velut in Euangeliorum libris, vt rem exemplo illustrem, ex turbatis singulis variorum librorum scidis explicari volunt, vel, vt in Iustino Martyre, ex vsu Euangelii Nazaraeorum, ego quidem haec omnia explicare soleo ex studio veterum quascunque de Christo narrationes, siue lectas siue auditas siue veras siue fictas, in harmoniam quandam redigendi, quod, vt de Tatiano, discipulo Iustini Martyris, cum primis nouimus, ita ex variis ac miris haud raro glossematibus in Codd. obuiis satis adparet. Summa igitur cautione opus est atque circumspectione in admittenda huius generis hypothese critica, qua, nisi sobrie ea vtamur certis argumentis nec solis opinionibus ducti, quidlibet ex N. T. extorqueri, eiusque non solum interpretatio omnis, sed et authenticia ipsa incerta admodum ac dubia reddi poterit; cum recto contra Criticae sacrae vsu textus N. T. praeclare adiuuatur et firmatur. Maiores vero epistolas Paullinas, vt ad rem nostram redeamus, ex minoribus nonnullis inuicem iunctis succreuisse, id quidem, si ab illa adpendice epist. ad Romanos discesseris, vt omnino ratione idonea caret, ita nec interna posterioris ad Corinth. epistolae oeconomia confirmari infra videbimus. Quae autem similia alia de singulis schedis autographis huc pertinere vi-

A 3

dean-

p. 143 sqq. et GRIESBACH in *Curis in histor. textus graeci epp. Paull.* p. 45—47.

deantur, de iis in examinanda hypothefi  
MOYNI dicendi locus erit.

Aeque a veri specie aliena mihi videtur altera opinio, qua Cap. XVI. epift. ad Romanos ad fin. Cap. VIII. epift. II. ad Corinth. claufulae inftar transferendum iudicatur: *tum* quod, qua ratione hoc caput, fi epiftolam II. ad Corinthios primitus finiiffet, fuo loco pelli et ad epift. ad Romanos migrare potuerit, prorfus non intelligitur; *tum* quia nulla priftinae fedis veftigia in antiquiffimis ecclefiae monumentis adparent. Equidem concedo, Cap. illud XVI, quod in epift. ad Romanos hodie exftat, eo non pertinere, fed peculiarem fcidam fuiife, eamque Corinthiis deftinatam. Sed huius rei modum, quo Corinthi haec fcida cum epift. ad Romanos iungi, ficque ex recensione Orientali eodem nexu propagari potuerit, fic fatis intelligere mihi videor; illius contra huius capituli fati, quo ex *epiftola* ad Corinthios ad epift. ad Romanos tranfierit, rationem modumque me prorfus ignorare nec adeo cogitare poffe lubens confiteor. Qua vero altera hypothefeos parte abiecta alia eiusdem difficultas exoritur haec: Posteriozem epiftolam ad Corinthios hac ratione omni omnino claufula deftitui. Claufulam C. XIII, II fqq, inquis, huc pertinere; fed, annexis particulis minoribus, refeftam fuiife eandem et ad finem

finem totius voluminis reiectam. At nullum vestigium pristini loci in antiquissimis Codd. adparet; quod vero haud obscure animadvertimus in duplici illa adpendice epist. ad Romanos. Cap. XVI. ad Rom. regeris, cum Romam non transierit, sed Corinthi manserit, haud potuisse in antiquissimam recensio- nem Occidentalem irrepere; vnde esse, vt in exemplis vetustissimis primitiui habitus satis manifesta extent indicia: aliam vero rationem esse segmenti illius C. XIII, 11 sqq. quod, cum prima iam aetate a Corinthiis ipsis transposi- tum fuisset, eundem semper in omnibus *αυτι- γραφοις* locum seruarit. — At magnam tamen primi orbis Christiani licentiam mihi narras, quam, nisi certiora afferantur rei argumenta, mihi nunquam persuadebis; praesertim cum ad tollendas difficultates §. I. recensitas, quod infra docebimus, nulla prorsus hypothese in- digeamus.

Nullam denique rationem, satis quidem idoneam, perspicio, qua Apostolus adductus se- iunctam hanc schedulam ad reliquas ecclesias Achaicas misisse censendus sit. — Nam vniuersa haec ad Corinthios epistola cum ob ipsam inscri- ptionem C. I, 1. non solum ad Corinthios, sed ad reliquas etiam ecclesias Achaicas, pertineret, adeoque ex antiquissima Christianorum con- suetudine in singulis praelegeretur; admonitio illa Apostoli de stipe colligenda C. VIII. pe-

culiarem aliam schedulam eiusdem argumenti ad singulas mittendam superfluum reddidisse videtur. Sunt quidem, haud ignoro, qui, cum epistolae argumentum ad Corinthios maxime pertineat, et vero communicanda eadem Apostolus Corinthios suos haud leui ignominiae in reliqua prouincia Achaica expositurus fuisse videatur, verbis C. I, 1. non litterarum communicationem sed solam reliquarum ecclesiarum salutationem significari existiment. At vero res Corinthiorum, quas Apostolus Ephesi tum commorans per nuncios accipiebat, caeteris ecclesiis Achaicis per viciniam aequae cognitae atque comperatae esse debebant; nec, cum exempli maiorum urbium haud exigua vis sit in mores minorum, improbable adeo videtur, ecclesias Achaicas minores iisdem vitiis, quibus Corinthii laborarent, sic fuisse commaculatas, vt, quaecunque Apostolus Corinthiis scripserit, haec reliquis etiam conuenirent. Sed si vel maxime coetus minores ab omnibus iis, quae in Corinthiis acriter reprehenderat Apostolus, vitiis immunes fuissent, futuris tamen ecclesiarum vsibus haec monita Apostoli inseruire egregie potuissent. Plures hi coetus Christiani porro in vniuersa Achaia vnam quasi ecclesiam vniuersalem, cuius metropolis Corinthus erat, constituebant; vt Corinthii igitur, si antiquam quidem Christianorum simplicitatem ac fraternam vnionem ad recen-  
tio-

tiores mores ac instituta haud exigamus, non magnopere offendi possent, quando coetus minores peccata singulorum ecclesiae Corinthiacae membrorum comperirent. Nul- lum denique afferri potest certum ac ido- neum argumentum, cur Paullus Achaicam ecclesiam, si *salutari* eam modo, (cui quidem rei sub finem epistolae aptior profecto locus fuisset,) neque vero eacum litteras ipsas *com- municari* voluisset, praeter omnem consuetu- dinem in ipsa iam inscriptione compellaue- rit. Quae cum ita sint, certum omnino ex- ploratumque videtur, posteriores has litteras ad Corinthios ex mente et consilio Apostoli ipsius cum reliquis etiam ecclesiis fuisse com- municandas. Itaque superflua erat peculia- ris quaevis alia epistola praeter nostram ad reliquas ecclesias Achaicas mittenda. Quid enim hae eandem rem bis legerent? Qui vero Apostolus inanem eiusmodi laborem suscipere potuisset? Cui id accedit, constan- tem Apostoli morem ac consuetudinem fuisse, ut grauioribus subinde negotiis distentus ad principes tantum ecclesias perscriberet, unde cum reliquis metropoleos ecclesiis facillime communicari possent epistolae. Cur igitur Paullus hunc morem perpetuum tum mune- ris sui grauiissimi rationi tum primitiuarum ecclesiarum statui maxime congruum hoc loco, nullaque intercedente grauiori causa,

deseruisset? Ita sane rationes nostras tuto fatis conficere possemus, etsi certum illud et expressum indicium C. I, I. non haberemus. — Sed ponamus, quod certe per ea, quae supra prolixè exposuimus, concedendum non est, has litteras ad caeteras Achaicas ecclesias non pertinuisse; scribenda tamen ad illas peculiari quadam epistola, sine vllò rei commendandae detrimento, Apostolum supersedere potuisse arbitror. Poterat enim ecclesia Corinthiaca ipsa haec beneficia pro egenis Palaestinesibus, vt in Macedonia, ita et in vniuersa Achaia colligenda minoribus illis coetibus omnium optime commendare; et vero etiam post multas Apostoli preces, quas legati a Paulo singulis ecclesiis Achaicis sine dubio confirmabant, de stipe vbique cogenda serio cogitasse censenda est. Paulus itaque ad ecclesias Achaicas, nisi alia vel ad emendandam animi indolem vel corrigendam externam ecclesiae rationem ac disciplinam, qualia vero in hoc Cap. IX no reperiuntur nulla, iis simul iniungere constituerit, propter solas symbolas paullo lautiores commendandas litteras nullas daturus fuisse videtur. — Cum igitur nulla, prorsus ratio adsit peculiaris schedulae tam breuis tamque superfluae a Paulo scribendae; prima illa hypothesis haecenus excussa parum mihi probatur.

§. III.

## §. III.

*Altera hypothesis excutitur.*

Sed aliae adhuc dantur hypotheses, quibus, si natiua nulla ac plana ratione nexus vtriusque Cap. VIII. et IX. demonstrandus esset, difficultates eiusdem expediri possent. Duplex quidem rei artificiose explicandae modus mentem subit; sed dantur forsan plures, in quibus vel ornandis vel confutandis vires ingenii exerceant alii. At vero ne duplex quidem ille modus mihi probatur. Quibus ergo rationibus permotus vtrumque abiciam vt alii, quibus alteruter forsan arrideat, sciant; recensebo iam vtrumque, priorem quidem *hoc*, posteriorem vero *sequenti* §o; additis rationibus, quae, vt opinor, vtrumque destruant vel saltem infringant. — Prior hypothesis haec est: Apostolum, cum posterior haec ad Corinthios epistola ex consilio ipsius, aequae ac illa ad Ephesios data (quod quidem manifesta vtriusque recensiois antiquissimae dissensio in *inscriptione* eiusdem exprimenda haud obscure indicare videtur) *cyclica* esset, duo eiusdem exempla describenda curasse, Corinthiis alterum, alterum caeteris ecclesiis Achaicis destinatum; quae vero, summo licet in reliquis omnibus consensu, in loco tamen de stipe pro egenis Palaestinensibus cogenda mire a se inuicem discrepaffent: alio  
quip-

quippe caussarum genere ad commouendos Corinthios, alio ad reliquas ecclesias excitandas ab Apostolo adhibito. Corinthios enim, cum et diuitiis abundarent, et vero gloriae magnopere studerent, honoris maxime periculo, Achaicos vero colonos illos, vel mediocri fortunae homines vel gloriae non adeo cupidos, largiorum potissimum praemiorum diuinorum spe ad liberalitatem erga alios adduci potuisse. Hinc esse, vt Apostolus in concitandis ad benefaciendum *Corinthiorum* animis C.VIII. *tum* florentissimam earum fortunam rerumque omnium abundantiam celebret, *tum* solidioris gloriae studium in iisdem acuere, ad suasque rationes trahere allaboret: *Achaicis* contra colonis C. IX. (vbi com. 2. expressam etiam Achaiae mentionem fieri,) repetitis breuiter tantum strictimque, vv. quinque prioribus, argumentis C. VIII. fusius expositis, *gratiae diuinae beneficium* atque insignioris felicitatis futurae spem prolixè satis et ad vitae earum genus accommodate, petitis passim (vv. 6. 10.) ab agricultura loquendi formulis, *proponat*. Quod argumenti discrimen cum animaduertissent Corinthii, vtrumque locum eos coniunxisse, obseruata quidem ad oram libri vtriusque loci (C.VIII. et IX.) vera ratione atque origine; qua vero obseruatione historica, cum aliis multis, temporis iniuria deleta, veram rationem iudican-

di

di miri vtriusque capitis consensus, in eoque iterum discriminis simul periisse, probabili modo coniectura nunc restituendam. —

At enim uero, quamuis non opus erat peculiari epistola ad ecclesias Achaicas scribenda, cum, quaecunque ad se pertinerent, facile comperire illae potuissent a Corinthiis litteras suas cum illis pariter ac Colossenses cum Laodicenis Col. IV, 16. communicaturis; hoc tamen certum puto, Paullum, si duo harum litterarum exempla, alterum pro Corinthiis, pro Achaicis alterum, sic exarare voluisset, prout ratio et status cuilibet ecclesiae proprius efflagitaret, longe plura in hac epistola, quae ad Corinthios maxime pertinent, vel omittere prorsus debuisset, vel certe ita immutare, ut duae potius epistolae inuicem prorsus diuersae, quam duo eiusdem epistolae exempla, existerint. Quamquam enim Achaicae ecclesiae a morum ac disciplinae ratione Corinthiorum haud magnopere alieni fuerint, ut, quaecunque hac de re Corinthiis dicerentur omnino, illi ad se quoque transferre possent; hac tamen epistola maximam partem Apostolus in *singularia* Corinthiorum facinora sic descendit, ut, si propter solam fortunae, qua metropolis atque vicinae ecclesiae vterentur, varietatem ipsa argumenta ad persuadendum vario modo ad ingeniumque cuiusuis accommodato instruere ei visum fue-

fuerit, *uniuersa* profecto epistolae forma, quae ad Corinthios maxime pertinebat, in exemplo Achaicis destinato apte ad singularem eorum vsum immutanda fuisset. —

Quid sit porro, quod Corinthii in sua epistola carerent persuasionibus iis, quas Apostolus ex insigni praemiorum diuinorum copia atque immensa felicitatis futurae ex proluxa erga inopes voluntate ipsis sperandae magnitudine C. IX. depromferat, equidem non intelligo. Num Christiani locupletiores gratia diuina minus indigent ac inopes? Vel fuerunt Corinthii ea mentis imbecillitate, vt vim horum argumentorum capere non possent? At coloni illi Achaici capere poterant; et persuasio sane ex felicitatis spe depromta cuiusque hominis ingenio apta est, vt, cur minus idonea fuerit Corinthiis, quibus difficiliora tamen ac subtiliora multa in vtraque epistola proposuerat Apostolus, prorsus non videam. — Dein hypothesis illa non satis conspirare videtur cum argumento priorum quinque C. IXni commatum, quae tamen, cum idem illud continere videantur, quod iam C. VIII. copiose tractatum fuerat, potissimas, ne dicam, omnes difficultates gignunt. Etenim, si argumenta Corinthiis C. VIII. proposita non quadrant ad Achaicos, cur repetit ea Apostolus in exemplo Achaicis exhibendo (Cap. IX)? cur concludit eadem angustius? cur ex-

excitare studet in his vv. honoris gloriaeque studium in hominibus, qui eo exstimulari non poterant? quare non versu 6to nostro potius, paullo aliter quidem informato, omissis prioribus quinque, paraenesin suam, ingenio ac moribus Achaicorum accommodate, incipit? Sin vero hae ecclesiae minores iisdem persuadendi locis ad rationes Pauli adduci poterant, cur premit Apostolus argumenta, nec ea vi, eaque ingenii vbertate, quae Cap. VIII. cernitur, illa expromit?

Itaque cum nullum vestigium diuersorum lectorum utroque hoc capite adpareat; eadem potius lectorum, C. IX. pariter ac VIII, ratio ex omni contextus habitu ponenda sit (promissionem enim gratiae diuinae etiam ad Corinthiorum animos vim habuisse, supra iam obseruatum est); potissimas difficultates, quae priora cum primis commata quinque premunt, hypothesis illa expedire haud videtur. Nullam denique vim inesse, vix est quod moneam, *neque* mentioni Achaiae v. 2, cum Corinthus metropolis stipem cogendam in vniuersa Achaia procuraret; *neque* imagini ab agricultura C. IX. desumptae, quae et Paullo admodum frequens est, et in se adeo trita, vt perquam commode adhiberi possit in vrbe quauis florentissima et ab agricultura vel maxime aliena.

§. IV.

*Tertia hypothesis recensetur et examinatur.*

Transeamus nunc ad vltimam hypothesin, quae, missa opinione illa in duabus prioribus stabilita, qua C. VIII. ad Corinthios, IXnum vero ad Achaicas ecclesias pertinere putant, in sola argumenti similitudine, qua priora quinque commata Cap. IX. cum C. VIII. iuncta sunt, vnde illa sit, explicanda versatur. Est vero haec: Cap. VIIIum et IXnum pertinuisse quidem vtrumque, pari ratione ac reliquas huius epistolae partes, ad Corinthiacam aequae ac caeteras Achaiae ecclesias: *primitus* vero Apostolum, cum primus hanc epistolam ad Corinthios daret, Cap. IXni v. 6tum nostrum, aliter licet structum, Cap. VIIIuo sic iunxisse, vt accurate cohaereret ille cum commate huius vltimo; atque, cum C. VIIIuo gloriae cupiditatem, qua ferrentur Corinthii, ad beneficentiam ille adduxisset, multis etiam gratiae diuinae beneficiis ex liberalitate expectandis animum eorum flectere Cap. hoc IXno eundem studuisse. Sed in noua scriptorum suorum editione ab ipso adornata priorem illam rationem in Corinthiorum animos se insinuandi C. VIII. copiosius paullo diffusam in quinque haec priora Cap. IXni commata Apostolum sic conclusisse, vt ex ipsius consilio illo Cap. VIIIui argumento, cum summa eiusdem in prioribus his

his C. IXni segmentis velut in compendium redacta exhibeatur, carere adeo nos hodie possimus: reciso enim Cap. VIIIuo integro Apostolum prima haec Cap. IXni commata, quippe quae summam argumenti Cap. VIIIui contineant, cum nostro v. 6to, qui in priori editione *primus*, vt ita dicam, fuisset h.e. cum C.VIII. nostro proxime cohaesisset, hac posteriore editione ita coniunxisse, vt *hic* vi tantum ab *illis* hodie diuelli possit, atque aegre admodum cum vltimo C.VIIIui segmento, quocum tamen ante secundas Apostoli curas ipsa verborum forma arte cohaeserit, coniungi. Qua igitur vtriusque harum litterarum editionis dissimilitudine a Corinthiis obseruata, *vel* quinque haec priora, quae nunc habemus, C. IXni commata in exemplis ex *prima* epistolae editione descriptis ad marginem primum adscripta, dein autem in textum ipsum illata fuisse; *vel* Cap. VIIIuum integrum in exemplis ex *altera* editione descriptis, addita quadam nota historica dein perdita, insertum, ne quidquam, quod e calamo Pauli profluxerit, periret: sicque textum quem in nostris exemplis legimus, existisse, *cohaerente* quidem *commate* 5to et 6to Cap. IXni, vtroque vero *capite ipso* VIIIuo et IXno *non itidem*. —

Euanescerent quidem, haud nego, omnes difficultates §.I. recensitae, citiusque multo ac vlla praemissarum hypothesisum, admissa

B

hac

hac fabula, modo vera sit. — Sed mirum  
 profecto esset, in tanta monumentorum vetu-  
 stissimorum, quae tot genuinas lectiones nobis  
 feruarunt, copia nullum superesse vestigium  
 vel omissi Cap. VIIIui, vel deficientium quinque  
 priorum commatum Cap. IXni, vel primiti-  
 vae saltem formae v. 6ti Cap. IXni, qui, vti  
 nunc est, nullo modo cum vltimo commate  
 Cap. VIIIui, optime vero cum proxime prae-  
 cedente v. 5to eiusdem Cap. IXni cohaeret.  
 Sed quid in dubitatione hac haereamus?  
 Falsa omnino est, si quid iudico, illa non-  
 nullorum opinio, qua editio *Αποστολῶν* a Paulo  
 ipso procurata censetur. Etenim huius rei,  
 quae notatu dignissima fuisset, nullus sane  
 scriptor antiquus mentionem facit, ne in-  
 tuenda quidem librorum quorundam N. T.  
*αυθεντικῶν*: nullibi *Tertullianus aduersus Marcio-  
 nem* prouocat ad hanc collectionem a Paulo  
 ipso factam, qua tamen quaeuis dubia Mar-  
 cionis aduersus epistolas ad Timotheum et  
 Titum facile dilui potuissent; neque lis illa  
 de authenticia epistolae ad Hebraeos potuisset  
 excitari, si Paullus epistolas suas collegisset  
 atque edidisset ipse. Adfuisse vero iam sub  
 finem sec. I. *τον Αποστολικον* ab ipsis apostolis  
 collectum iure nostro negamus: si enim ad-  
 fuisset, intelligi sane non posset, cur *Iustini  
 Martyris* tempore *σολα ἀπομνημονευματα των απο-  
 στολων* s. *Euangelia* in publicis Christianorum  
 conuentibus praelécta fuerint, nec illa etiam col-

col-

collectio *epistolarum* apostolicarum, cum tamen a Paulo ipso ex illa hypothese dudum publici iuris facta fuisset. *Particulares* quidam *collectiones epistolarum* apud priuatos tum temporis iam extitisse *non negamus*; hae vero hic in censum non veniunt, ubi de illa modo collectione epistolarum a Paulo ipso adornata quaeritur. Ex his igitur colligimus, Versionem Italam atque Syriacam, quarum aetatem ad finem Sec. I. *vulgo* referre solent, cum vtraque *του Αποστολου* contineat, ante exitum Sec. II. factas non esse: tum demum, cum numerus graece loquentium decreuerat, versione librorum sacrorum indigebant Christiani; non vero eo iam tempore, quo *plerique* graece sciebant *b*). Nec cum b. SCHMIDIO (*histor. Canon. p. 720*) ex II Petr. III, 15. 16. concludere licet, integrum codicem *omnium* epistolarum Paullinarum a Petro iam fuisse vsurpatum: *singulas* modo epistolas Paulli hic illic in itinere ille legisse, et hoc quidem loco ad *certas* (*εν πασαις ΤΑΙΣ επιστολαις*) epistolas ad Profelytos per Asiam dispersos datas respicere videtur; (cogitasse enim eum de epist. ad Hebraeos vel ad Thessalonicenses mihi persuadere non possum,) neque in *omnibus* epistolis suis Paullum

B 2

ea,

*b*) Prolixius haec et docte, vt solet, exposuit S. V. GRIESBACH in *Curar. in histor. text. graec. epistolar. Paullinar. Spec. I. Sect. II. §. 11. 12. in primis et alibi.* —

ea, de quibus Petrus suos admonet, exposuisse res ipsa docet. Certum igitur mihi videtur, eas ex epistolis Paullinis nondum deperditis, quae ad religionem vel ecclesiam Christianam potissimum pertinerent, post obitum Apostoli demum a Graeco quodam collectas, sicque illam ipsam epistolarum Paullinarum collectionem, quam hodie habemus, ante exitum Sec. II. euulgatam fuisse. — Commata denique quinque priora Cap. IXni epitome C. VIIIui modo *videntur*, sed *vere non sunt*; id quod ex nexu utriusque capituli §o sequenti curatius euoluendo adparebit luculentius. Quin variae Cap. IXni partes, nisi Cap. VIIIuum legendo praemittatur, obscuritate aliqua laborent; veluti illa mentio των αδελφων v. 3. referenda ad Titum (C. VIII, 16.) duosque illos αδελφους (v. 18. et 22.) Titi comites: et omne omnino argumentum C. IX. facilius multo intelligi, eiusque lectionem minus impediri, si C. VIIIuum ante legerimus, suo quemque sensu edoceri posse existimo. Paullus igitur, si pressisset C. VIIIuum prioribus his quinque Cap. IXni commatibus, obscuritatem sane haud leuem hac sua brevitate in Cap. IXnum intulisset. Quibus omnibus rite expensis illa hypothesis vel specie adeo carere intelligitur, qua commendare sese posset. — Sufficiant vero haec ad obseruandum, quorsum ingenii luxuria nos abducere possit, nisi id continuo sectemur, quod in qua-

quaque re verum certumque sit: neque in his opinionibus iudicandis tamdiu haesissimus, cum res ipsa, nulla prorsus admessa hypothesi, clare fatis nobis luceat, nisi et aequitas erga viros graues et doctos, et nostri temporis ingenium curatiorem hanc et plenioris disquisitionem postulare videretur.

§. V.

*Verus nexus C. VIIIui et IXni demonstratur.*

Ab erronea igitur, ingeniosa licet, opinionum subtilitate ad natiuam ac simplicem veritatem textus nunc transeamus. Videtur autem, meo quidem sensu, Cap. VIIIuum et IXnum nexu cohaerere hoc: Apostolus ad leuandam Palaestinsium Christianorum miseriam Corinthiorum animos commoturus pro singulari, qua gaudebat, persuadendi vi efficere id studuit, non tantum, (animo quippe Corinthiorum suorum, quos rerum abundantia affluere nouerat, honoris cupidissimo fretus,) proposito Macedonum exemplo, qui, quamuis magna rerum angustia conflictabantur ipsi, largas tamen symbolas coegerant; sed describendo etiam liberalitatem erga alios tamquam rem religiosam, atque officium a quouis Christiano *pro viribus* praestandum, eamque egregio Seruatoris nostri ipsius exemplo illustrando. — Haec agit Apostolus versibus *quindecim* C. VIIIui prioribus.

B 3

At

At vero Paullus, qui magno sustentandorum Palaestinsium studio flagraret, prolixam erga illos voluntatem non solis litteris Corinthiis commendandam putavit, sed Titum etiam cum duobus aliis itineris atque laborum sociis Corinthum misit, qui stipem illam, cuius colligendae initium vno abhinc anno iam fecerint Corinthii, prius cogerent, quam ipse veniret. Abscindit igitur Apostolus, quam exorsus erat, telam, atque incidit in memoriam Titi eiusque sociorum, quorum fidem, auctoritatem, ac singularem, quo in Corinthios ii ferantur, amorem vehementer laudat, iisque confirmat. Commemorat in primis τὰς ἀδελφούς Titi comites, quantum de legatione ad illos sibi gratulentur, quamque liberale hospitium, quo Titum iam receperint (cf. VII, 13-15.) ab eorum humanitate, copiose satis ab ipso commendata, atque amore, quo et ipsum et ipsius socios prosequantur, expectent (v. 22.). Commendat igitur Corinthiis legatos (v. 24.) ne hi eximia, quam foueant, spe, frustrentur, neque se ipsum ab humanitate illos commendasse poeniteat: adhortatur eos, ut beneuolo ac liberali hospitio, quo Titum eiusque comites excipiant, prolixas illas laudes confirmet, suamque praesertim liberalitatem ac hospitalitatem ecclesiis circumquaque sitis, iis in primis, a quibus legati illi sint, egregie commendent (εἰς πρόσωπον τῶν ἐκκλησιῶν). — Illico ipsi in me-

mo-

moriam redit primum illud atque potissimum  
 eorundem consilium, colligendae scilicet sti-  
 pis; quod igitur breuibus modo, cum C. VIII,  
 1-15. eandem rem prolixius iam tractasset,  
 sub finem attingit (C. IX, 1. 2.) verbis his:  
 περι μεν γαρ διακονιας της εις τας αγιας περισσου  
 μοι εστι γραφειν υμιν· οίδα γαρ την προθυμιαν υμων  
 κ. τ. λ. Referenda itaque sunt prima C. IX ni  
 commata ad v. 24. Cap. VIIIui, nexu senten-  
 tiarum hoc: C. VIII, v. 24. "Vestram erga  
 „nos beneuolentiam, laudesque, quibus hu-  
 „manitatem vestram vbique locorum celebrare  
 „solemus, comprobetis velim ecclesiis omnibus,  
 „quocumque demum legati venerint, beneuolo  
 „ac liberali illorum hospitio. C. IX, 1. 2. Quod  
 „enim attinet ad stipem colligendam, cuius  
 „caussa legati veniunt, non est, quod magno-  
 „pere vos moneam, velitis hac etiam larga et  
 „prompta manu conferenda vestram iis liberali-  
 „tatem probare: noui enim animum vestrum ad  
 „bonum quoduis promptum atque paratum." —

Cohaeret igitur vtrumque caput hoc modo,  
 vt, cum Apostolus Corinthios ad hospitalita-  
 tem excitaret, ei in mentem redeat primum  
 itineris consilium; resumit itaque illud, sed *ως*  
*εν παροδω* tantum ac velut in parenthesi, quam  
 vero ad finem vsque capitis produxit tandem in-  
 genii vbertas. Quo sententiarum nexu vocula  
*γαρ* v. 1. vulgarem vim ac potestatem retinet,  
 qua Latinorum *Nam* respondet. Videtur de-

nique Apostolus argumento omni, in quo  
 haftenus versabatur, v. 2. vere terminum  
 statuisse; idem vero ipsi accidisse, quod cui-  
 vis fere in conscribendis litteris, ad familia-  
 res in primis, accidere solet, vt, dum con-  
 cludere disputationem vellet, oblatis nouis  
 rei argumentis, eandem persequeretur lon-  
 gius. Solemus quippe omnes in quaque re  
 nobis in primis cara ita toti esse, vt ab ea-  
 dem aegre admodum diuelli nos patiamur:  
 abimus, redimus; multis iam ab omni fere  
 parte de re disputatis modum tandem ora-  
 tioni statuimus, en occurrit ex improuiso alia  
 pars rei nobis tam carae! laetamur nouam  
 dicendi materiam, resumimus filum orationis  
 modo missum idque persequimur; ficque noua  
 subinde fila, dum telam conficere volumus,  
 atteximus, idque eo lubentius, quo aegrius  
 rem adeo gratam atque iucundam, in qua  
 plenius describenda ab omnique parte com-  
 mendanda omnes sumus, deserimus. Con-  
 venire autem huic mentis humanae indoli  
 atque consuetudini animi Apostoli hoc capite  
 situm ipsa sententiarum consecutio abunde  
 fatis demonstrat. Nam το περισσόν v. 1. prodit  
 celeritatem calami Apostoli ad alia transituri;  
 at occasione vocum singularum noua subinde  
 offertur dicendi materia. Cum Paullus scri-  
 beret illud ναυχωμαι v. 2, mentem subit nouum  
 persuadendi argumentum hoc: Velint stipem  
 promissam mature colligere, ne suus ipsius  
 honos

honor apud Macedones, quibus liberalitatem ipsorum egregie laudasset, *periclitetur*, si euentus praeconio haud responderit. (v. 3-5.) Quo absoluto aliud in mente Apostoli nectitur ex voce *ευλογία* v. 5, quae vi voc. hebr. כֶּרֶח non tantum *beneficium* denotat, sed *largitatis* etiam notionem adiunctam habet: quae igitur vox cum pro *stipe* calamo Apostoli v. 5. exciderit; simul redit *altera* eiusdem *significatio*, nouamque persuadendi materiem v. 6. affert ex *liberalitatis* remuneratione, quam Deus pro ratione et munerum et animi ipsius, quo ea dentur, cuius demensurus sit, verbis his: τῆτο δε, ὁ σπειρων φειδομενωσ, φειδομενωσ και θερισει· και ὁ σπειρων επ' ΕΥΛΟΓΙΑΙΣ, επ' ευλογιαισ και θερισει. Quae autem enunciatio ne sinistre accipiatur, atque liberalitas, quae vera eius ratio sit, rectius intelligatur, eam non ex copia et magnitudine munerum, verum ex animi, quo distribuuntur, facilitate et promptitudine, dimetiendam esse v. 7. significat, sicque ad declarandos liberalitatis fructus vberimos pergit vv. 8-14. — Possumus ergo in quouis fere huius capituli versu demonstrare, quomodo vna idea alteram excitauerit, vna ex altera, per *vnam* saepe voculam, nexa fuerit. Paullum vero occasionem transeundi ad alia ab vnica haud raro vocula arripere, idque in primis fieri, vbi scriptionis argumentum non satis praemeditatus fuerit, (quod vero accidisse ei in hac ipsa

epistola scimus) inter omnes constat. Itaque intelligimus, qui fieri potuerit, ut Apostolus, cui inter scribendum, natis subinde e tanta ingenii ubertate nouis animi sensibus, dicendi materia succresceret, in liberalitate Corinthiis commendanda, quamuis hoc argumentum 2do iam commate deserere vellet, per integrum hoc caput haereret. Haec sufficiant ad declarandam veram, quae mihi certe, meditationis Paullinae seriem diu fatis et sollicitè rimanti ac obseruanti, videtur, capitis vtriusque VIIIui et IXni rationem.

Sed posset etiam cum aliis nexus vtriusque capitis aliter cogitari; ut vnum tantum modum adhuc addam, qui post illum iam recensitum primum locum tenere videtur: (omnium enim interpretum, quos in declarando harum sententiarum nexu defudasse nouimus, labores examinare, cum id huius loci non sit, iure nostro superfedemus.) Est vero hic: Deseruisse Apostolum inde a v. 16. Cap. VIIIui eam dicendi materiam, quam adhortando Corinthios ad colligendam stipem initio Cap. inchoasset, atque ad commendationem Titi eiusque sociorum vsque ad fin. Cap. transiisse; at C. IXno filum illud C. VIII, i. exorsum, sed v. 16. abruptum, resumere nunc, atque pertexere hoc modo, ut *primum* ostendat, honorem suum, nisi larga ac prompta manu

manu stipem conferrent, admodum periclitari, cum prolixè adeo liberalitatem eorum apud Macedones celebrasset; cauendum igitur ipsis esse, ne in impudentis mendacii, (quod foret, si res aliter ceciderit,) suspicionem incidat: *deinde* ut doceat, Deum largiter remuneraturum esse beneficia quaeque inopi collata. Sensem itaque v. i. hunc esse: "Quod *vero* attinet ad stipem colligendam, (ut eo redeam, vnde digressus sum) superfluum sane iudico, ad largiter ac lubenter, eam praebendam copiose Vos cohortari; noui enim animum vestrum liberalem" etc.— Quo admissio sententiarum nexu duo modo monenda sunt: *primum* formulam illam loquendi: περισσον το γραφειν, cum duobus his commatibus contenta sit *captatio beneuolentiae*, premendam non esse, ut igitur obiectio illa: "Apostolum tamen eodem argumento intergrum adhuc caput replere", nulla sit, sensumque prorsus non feriat; id quod THEODORETUS etiam ad h. l. eleganter monuit verbis: ου περιττην οντως υπολαμβανων, αλλα τη τοιαυτη των λογων μεθοδω προς πλειω διεγειρων Φιλοτιμιων: *deinde*, particulam ΓΑΡ hoc sententiarum nexu modo esse *transeuntis* et *reassumentis*, atque reddendam: *Sed, Vero.* Voculam *Nam* apud Ciceronem aliosque probos auctores eodem sensu occurrere notum est; et de graecorum γαρ idem hucusque procer-

certo statuerunt graecissimi c). — Duplex haec nexus utriusque capitis expositio potissima videtur, sensusque notatio, si usum particulae γαρ attenderis, ei similis, quae Hebr. III, 4. praefenda sit d). Differunt vero in-

c) Nuper quidem Cl. ZEVNE in notis ad VIGERI libr. de praecipuis graecae dictionis idiotismis p. 481. contradixit: "Semper particula, lam γαρ reddere rationem antecedentis, quod aut discrete sit expressum, aut per ellipsin facile intelligatur." Sed ut taceam, in ipsis exemplis profanorum a Viro clarissimo adductis sententiam illam subintelligendam potius ab eo videri illatam, quam ab Auctoribus vere cogitatam; miror sane Virum loca ex XENOPHONTIS Cyropaedia iam a RAPHELIO ad Act. IV, 27. excitata non excussisse; quae quippe, nec non alia tam ex N. T. Matth. I, 18. lo. IX, 30. Act. II, 27. XVI, 37. quam ex V. T. apud LXX. Ies. XLV, 15. vbi hebr. יְדֹנֵהוּ et Iob. XIX, 23. vbi hebr. נֹדֵן respondet, si suo ILLE modo, at facili nec contorta ratione, explicuerit, victas demum Ei, at lubenter, porrigam manus; quod vero ab Ipso fieri posse eo magis dubito, quo plura in quavis fere pagina praestantissimae editionis N. T. ΚΟΡΡΙΑΝΑΕ varii vocis γαρ vsus exstent exempla. In concitatori contra sermone id, quod Cl. ZEVNE vult, accidere maxime, dudum monuerunt Cl. KREBS et alii. Potest igitur et debet, meo quidem sensu, vocula γαρ multis in locis per: Vero, efferri.

d) De quo loco vide sis commentat. nostram Ienae 1778. editam p. 13-17, qua duplicem illum vocis γαρ vsum accommodare ad locum copiose satis exposuimus.

inuicem, vt rem paucis complectar, hoc modo: vt ex *priori* Apostolus tantum *in transitu* argumentum de colligenda stipe attingat, strictimque sic repetat, vt ad finem eum festinare adpareat, vno autem alteroque nouo sensu suborto rem, quam attingere sub finem modo vellet, pro insigni vi ingenii longius diducat; ex *posteriori* vero ad idem argumentum C. VIII, 16. abruptum *ex instituto* redeat, nouaque persuadendi genera *consulto* addat. Vtra autem recta sit, id quidem certo definire aequae difficile hoc loco videtur, atque in illo Hebr. III, 4: sed si sensum sequi fas sit, *priorem* praefendam iudico *posteriori*, quoniam *tum* indicia abrumpendae subinde orationis, at noua oblata occasione continuatae iterum, luculenter satis adparent, *tum* ex vniuersa epistolae oeconomia, Paullum eiusdem argumentum haud praemeditatum, sed meditationem sponte ex se ipsam inter scribendum necti passum fuisse, clare intelligitur. —

### §. VI.

#### *Difficultates nexus tolluntur.*

At *idem* in Cap. IXno continetur, quod iam praecedente Cap. VIIIuo prolixè satis ab Apostolo propositum fuerat? Cur igitur Paulus *idem* ad *eosdem*, aliis modo formulis, Cap. hoc IXno repetit? Huius quidem rei dis-  
qui-

quisitio, quamvis ex nexu sententiarum supra constituto facillima sit, instituenda adhuc restat. Ex praemissa argumenti utriusque capitis delineatione, me non idem argumentum utrique capiti statuere, facile quisque intellexerit: quod vero, qua ratione, quove iure id faciam, ut eo magis elucescat, difficultates obiectas ipsas (§. 1.) ad rationem mutuam utriusque capitis § 0 praeced. expositam iam examinabimus. — Quod *primum* ad formulam illam: *περι μεν γαρ της διακονιας*, attinet, haec vere nostro quoque loco est *transeuntis* ad novum argumentum, C.VIII, 16. quippe abruptum, nunc *vel* breviter tantum, (quae mea est sententia,) ex eo, quod *primum* Apostolus ceperat, consilio sub finem attingendum, *vel*, (quod alii volunt,) copiosius paullo, additis novis persuasionum generibus, persequendum; cum Apostolus, dimidia licet parte Cap.VIII eodem argumento occupata, singula tamen, quae de re dici possent, nondum exhausisset, loco igitur his expromendis perquam idoneo Cap. hoc IX no relicto. Το *περισσον* *vel* merae captationis benevolentiae formula censenda est; siquidem Apostolus, quod THEODORETUS ad h. l. recte monuit, persuadendi atque in aliorum animos se insinuandi peritissimum hac ipsa epistola sese demonstrat; *vel proprie* intelligendum, quod rectius videtur, ad primum illud, quod Apostolus cepit, consilium abruptum pen-

pendi scilicet hoc IXno capite argumentum, quod C.VIIIuo tractauerat, pertinet. — *Perfectam* porro argumenti in utroque capite *paritatem* nemo sane contenderit, cum argumentum segmenti C. IX, 6 — fin. de egregiis liberalitatis fructibus vere nouum sit, atque C.VIIIuo plane intactum. Neque vero prima quinque C. IXni commata idem continere suo quemque sensu edoceri posse arbitrator. Etenim C. VIII, 7. 8. 10. 11. exhortatur Paullus Corinthios ad stipem colligendam, ne turpem sibi *maculam contrahant ipsi* (τὸ γὰρ ὕμιν συμφερεῖ); sed C. IX, 3. 4. idem iisdem commendat, ne *sua ipsius existimatio* apud alios eorum negligentia *in discrimen adducatur*; sicque illud *ἵνα μὴ λεγώμεν ὕμεις* v. 4, quod Cap. VIII. abunde iam excusserat, hoc loco in *parenthesi* modo attingit. — *Fraterum* illorum C. VIII, 18. 22. 24. mentio fit, ut celebrentur eorum *virtutes*, in primisque insignis amor Corinthiorum, hique excitentur ad beneuolum lautumque legatorum illorum hospitium: per *πεποιθησιν* enim v. 22: et *εὐδειξὴν τῆς ἀγαπῆς* significari, quod nonnulli volunt, diligentiam Corinthiorum in colligendis beneficiis, mihi persuadere non possum; cum idem ratione faciliore de liberali potius *hospitio*, quo *legatos ipsos* excipiant, intelligatur. C. IX. vero Apostolus agit de *prouincia*, qua hi *legati* inter Corinthios ad leuandam Palaestinensium Christianorum miseriam *de-*  
*fun-*

*fungerentur.* Varia igitur adest ratio narrationis in utroque capite: *Titus* contra, cuius mentio fit C. VIII, 6. 16. 17., haud commemoratur C. IX, certe non expresse, quamvis sub *αδελφοις* v. 2. 5. comprehendere eum iure possis. — At fingamus, legatos hos eodem prorsus respectu in utroque capite commemorari: nonne Paullus *eandem rem*, ubi sententiarum opportunitas id iuberet, *bis variis* quidem locorum *interuallis* narrare posset? Varius certe ac diuersus foret *nexus* ipse, etiamsi eadem res eodem plane ad personas respectu rediret. Rarone adeo Apostolo id accidit, ut *eandem rem*, ubi exigat loci ratio, repetat? Quin, ubi non opus sit, idem retexere Apostolum nouimus: quare igitur idem cap. hoc IX no legatorum mentionem, sine qua totum argumentum luce sua cariturum esset, praeteriret, equidem non intelligo. Sed ponamus, quamuis non concedamus, abesse *posse* v. 3. et 5. mentionem legatorum salua textus perspicuitate; rationem tamen idoneam videmus nullam, cur nostro quidem loco difficultatem atque obscuritatem pariat illud ipsum, quod in nullo alio, cum Paulo admodum frequens sit, suspicionem moueat, vel vllum Criticum aut interpretem impediatur. Possunt potius repetitae sententiae, si quae in hac epistola occurrant, eo minus vel Apostolo exprobrari, vel lectionem ipsam morari, modo veram cogitationum

rum consecutionem disquiramus diligentius; quo magis certum nobis sit, has literas, si vllae aliae, a Paulo, antequam eas consignaret, mente haud fuisse delineatas, omnemque adeo argumenti repetitionem vel maxime crebram currenti calamo ac velociori et abundantiori ingenio Pauli deberi. — Quomocunque igitur nexum horum capitum cogites, ex haftenus dictis intelliges, aut nihil prorsus in Cap. IXno repeti, aut, si quid repetatur, id vel leuioris momenti esse, vel contineri eiusdem rationem iustam vel in ipso sententiarum nexu vel in calami festinantia ingeniique Apostoli vbertate; nullamque propterea causam subesse vel struendae difficultatis vel hypothefis ad componenda; quae nulla sunt, textus repugnantia excogitandae. Dubium denique ex mentione Achaiae v. 2. expressa repetitum nullum est; Corinthus enim erat metropolis Achaiae, quae et stipem per vniuersam prouinciam cogendam administraret, et has ipsas literas cum reliquis ecclesiis Achaicis communicaret. — Haec de Cap. IXno a posteriori epistola ad Corinthios haud separando!

nequaquam intelligi. Quae vero calumniae quo minus ad *primam* legationem Titi spectare existimentur, obstare *tum* supra iam notatam perfectam similitudinem formularum loquendi C. VIII, 17-18. obuiarum, quae de *secundo* itinere Titi modo intelligendae sint; *tum* laudum illarum copiam C. VII, 7-16. cum calumniis istis Corinthiorum prorsus non conciliandam. —

Denique Apostolum C. XIII, 1. scribere: ΤΡΙΤΟΝ τὲρο ερχομαι προς υμας. Sed Paullum *bis* tantum Corinthi fuisse, Act. XVIII, 1. et XX, 2. Sin vero ερχεσθαι de *litteris* accipia-  
tur; *duas* modo has epistolas ad Corinthios extare. Quid igitur illud τριτον ερχομαι?

## §. II.

### *Hypothesis prima enarratur et diiudicatur.*

Quae itaque sententiarum Paullinarum difficultates, siue omnes siue quaedam saltem, (nam non omnes ab antiquioribus philologis iam obseruatae fuerunt) cum plura ingenia exercebant; *duo* potissimum inde nati sunt modi soluendi perplexos hos nodos, et quae repugnantia viderentur componendi. Quorum prior isque potior hic est: A Cap. Xmo inde incipere nouas literas, quas Paullus post hanc posteriorem epistolam, accepto quippe a Tito nouo atque ingrato nuncio de nouis turbis, flagitiis, atque criminationibus Corinthio-